




LVNÆ DIE 16 M. FEBRVARII A. 2004

A.d. XIV Kal. Martias a. MMIV

I I 8

# M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA  
AUSPICIS DOMUS ERASMIANAE CURAQUE FUNDATIONIS MELISSAE  
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS  
Gaius Licoppe

COMPOSITRIX  
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.  
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / <http://users.skynet.be/Melissalatina>  
Bureau de dépôt : 1040 Bruxelles 4 / Afgifte kantoor 1040 Brussel 4



## CIRCA HYMNVM EVROPÆVM

In Melissæ fasciculo 112 divulgavimus verba Latina Hymni Europæi, qualia exaraverat Tuomo Pekkanen, petente Raimundo Fleischmann. Hoc carmen ad Unionis Europææ auctoritates missum est a Iosepho Leinen, præside Unionis Europæorum Foederalistarum et deputato Europæo. ¶ Auctoritatum responsa nunc patefacta sunt. Patricius Cox, præses Cœtus Legatorum Europæorum, scribit se carmen attente legisse atque confirmat Hymni modos musicos hactenus verbis care, quamquam multi iam verba proposuerunt, nulla tamen Latina. Idem manifesto Latine intellegit, qui dicat carmen Tuomonis Pekkanen sibi placere, hæc tamen addenda esse verba : « omnes homines fratres fore ». Censet enim hæc verba pro Europa in unum redigenda maximi esse momenti. ¶ Romanus autem Prodi, Commissionis Europææ præses, litteris significat se carmen Latinum accepisse. Primo punto se incepto Fleischmanniano favere dicit. Deinde nonnulla de historia huius hymni refert : modos musicos esse partem symphoniacæ Beethovenianæ ; eos anno 1971 esse in Hymnum Europæum electos, anno 1972 confirmatos ; numquam de verbis addendis quicquam esse statutum, neque umquam verba esse Hymno Europæo publice adscripta, quamvis modis Beethovenianis verba quædam non defuissent. Liberum esse huius hymni usum in rebus publicis Europæis ; tantum pro usu in rebus mercatoriis iure esse vectigal solvendum.

Nullum, quoad hunc hymnum, neque juris neque administrationis onus nullamque auctoritatem neque in Consilium neque in Commissionem cadere ; sin autem ex nova constitutione Europæa reapse publicus evaderet hic hymnus, et Commissionem et alia Instituta Europæa de eius usu publico statutura. Denique affirmat auctoritates Europæas linguarum diversitatem, quæ est in iure Europæo constituta, etiam in futurum servaturas. ¶ Ex his præsidis Prodi verbis patet longe abesse ut lingua Latina quemquam locum in Unione Europæa accipiat. Unio enim impedita est sua ipsius lege fundamentali, qua non solum respiciuntur diversæ linguæ, et hoc merito, sed qua hæc solæ linguæ imprudenter admittuntur, omni sermone supranationali excluso. ¶ Hoc eo magis mirandum est, quod in singulis civitatibus lingua quæ dicitur nationalis civibus stricte imponitur. Tanti momenti politicis videtur esse homogeneitas linguistica in sua cuique civitate, ut nunc civitates ubi complures linguæ adhibentur distrahantur in partes autonomas. Quæ cum ita sint, quomodo hi politici sincere operam dare possint ad veram civitatem Europæam condendam ? Et eorum malignitas iterum patuit superiore mense Decembri inter summum cœtum Europæum, cum non valuerunt de futura

Unionis constitutione consentire. ¶ Exclusivus tamen linguarum diversitatis respectus non solus obstat ne in unum redigantur civitates Europææ ; nam, ne quisquam offendit possit, non licet Europæ historiam memorare, neque in eius communis patrimonio culturali constitutionis fundamenta agere. Talem Europam insulsam et sine anima, quis amare et venerari possit ? ¶ Contra oportet animam Europæam expergefaceremus singularitates commemorare et proclamare, quæ sunt rationis excellentia et libera animi diffusio singularum personarum. ¶ Facilius politici nostri Europæ fines invenient, si recordati erunt hæc verba historici Francogalli Renati Grousset : « Europam voco cunctas regiones, quæ hereditatem a cultu Hellenico ceperunt. » ¶ Patricius Cox suadet ut Hymno Europæo addatur « omnes homines fratres fore ». Sed ut hoc fiat, oportet hi homines ad eandem familiam pertineant. Ego si essem in circulo viginti quinque hominum, qui viginti quinque Unionis civitates representarent, sederem iuxta viginti quatuor extraneos, quibuscum mihi nulla esset consuetudo. Contra cum Hispanos vel Polonos vel multos alios convenio, quibuscum mihi licet Latine sermocinari, tunc sentio me cum eis eandem hereditatem participare. ¶ Multum mihi placet Europæarum regionum diversitas ; unaquæque suam singularem amoenitatem habet, sua mirabilia, suos proprios cibos potulentaque ; hac tamen diversitate multo iucundius fruor, si mihi etiam contingit incolas convenire qui cultum universalem mecum participant. ¶ Non raro ex me quæritur qualis sit scopus hodierni motus Latinitatis vivæ. Imprimis oportet commercium Latinum inter homines augere docendo, scribendo, loquendo. Numerus hominum qui Latine sciant omni modo augendus est ; magistris suadendum est ut tandem arripiant ansas Latinitatis vivæ et institutionem suam vividorem reddant ; augenda est copia vocabulorum ætati nostræ convenientium ; ubique Latinitas viva ita notior est facienda, ut tandem aliquando auctoritates Europææ ad eam agnoscendam allicantur. ☺

Gaius LICOPPE


## DE CONVENTICVLO RVSTICO AMERICANO

- *scripsit Iacobus Dobreff -*


**V**os, boni lectores, versari cælo sereno in montibus saxosis et altis fingite. Ubi saxa suos rubricosos colores oculis non ostendunt ibi cernuntur arbores perennes et pæne omnium generum coniferæ, quas inter quædam Erasco vivo iam annum quingentesimum agebant. Semitæ, non aliter ac ingentes serpentes, ab imis montibus inter hæc saxa et miræ magnitudinis truncos radicesque arborum per ambages in ipsas nubes ducunt vestras ambulationes. Talia in Conventiculo Rustico Vasintoniensi mediis montibus Cataractis (vulgo *the Cascade Mountains*) sunt conclavia scholastica.

Proxima æstate unus quidam sacerdos, tres professores, unus studens gradus doctoralis, sex universitarii, et quinque ludi magistri duce Prof. Stephano Berard et me ipso, quasi magistro equitum, primum conventiculum Vasintoniense in regionibus Dianæ, deæ Romanæ, amabilibus celebraverunt. Illuc quidem itinera suscepimus ut

¶ artem Latine loquendi coleremus,  
 ¶ nos Latine loquendo eruditiores et politiores Latinistæ evaderemus,  
 ¶ de rebus naturalibus multum latine disceremus,  
 ¶ versantes et ambulantes in locis pulcherrimis amicitiam cum aliis Latinistis iniremus vel corroboraremus.



Diana Johnson, Stephanus Berard, Albertus Castro, Iacobus Dobreff iuxta lacum qui ad montis cuiusdam fastigium situs est. Qui lacus quoque fuit primæ ambulationis scopus.



Iacobus mediis in montibus.

Brevi vobis rationem Conventiculi Rustici explicabo. Tres fuerunt quasi stationes. Diebus XIIX et XIX mensis Iunii in campo Collegii Vallis Aqualbensis sessiones habebantur pro eis participibus qui numquam antea Latine locuti erant. His in sessionibus Stephanus Berard participes per exercitationes loquendi ducebant. Deinde a die XX ad diei XXVII diluculum versabamur ruri in eleganti Villa, quæ Villa Faciei Sordidæ (*Dirty Face Lodge*) ob montem vicinum vocatur. Tribus diebus sessiunculæ habebantur in quibus opera Latina ut scripta Columellæ, Artem Versificatoriam illius Matthieu De Vendôme, et alia tractabantur. His in scriptis præsertim res rusticæ et naturales spectantur ; ut locus ex Columellæ scriptis excerptus qui modum serendi et alendi pometi docet. Et quidem nostro Columella lecto iter ad cerasorum pometum fecimus, ut ab artis botanicæ professore pometi culturam disseremus. Inter sermones ingens cerasorum sapidissimum copia a nobis est devorata.

Aliis diebus, postquam ientaculum sumpsimus, autorædis brevi vecti ad cuiusdam semitæ radicem pervenimus. Ibi nos in duos greges ita dividimus ut, qui tardius lentiusque montem ascendere volebant, aptum gregem haberent et qui velocioris naturæ erant suum gregem. Per duarum vel trium horarum spatiū ascendebamus, deinde semita repetita descendebamus. Hac temporis ratione adhibita uterque grex pæne eodem tempore ambulationem terminabat.

Semitas dum sequimur alii de arboribus alii de avibus alii de se ipsis sermones serebant. Quidam participes perscrutabantur libros imaginibus ac descriptionibus instructos ut *Plants of Southern Interior British Columbia and the Inland Northwest*, in quibus omnia de illius regionis flora et fauna radicitus explicarentur.

Talibus libris armati sine duce botanico sat multum de arboribus et floribus didicimus. Etiam mecum aliquot scripta Caroli Linnæi ex Suetia ad conventiculum asportaveram, in quibus descriptiones Latine conscriptæ pinorum abietum picearum inveniebantur. Talibus in scriptis discrimen harum arborum conspicere potest. Sane pini facilime cernuntur, sed quod ad abies et piceas spectat res se aliter habet. Si arbores adultæ sunt, multum ex corticis habitu cognosci potest. Ubi cortices sunt similes, coni et strobili inspicendi sunt necnon folia aculeata. Conis rectis abies ornata est, inversis conis picea. Hæc sunt tantummodo pauca exempla rerum de quibus nostra colloquia sæpe agebantur.

Ambulationibus confectis et aut in ipsa Villa aut in capona quadam, cena quasi hausta, sessiones vespertinas obiimus. Has inter sessiones Stephanus orationem miræ eruditio[n]is de ipsis visceribus montium et valium habuit, in qua quomodo orbis terrarum quasi vultus ob motus interiores et recessum molium glacialium figuratus esset nobis obstupefactis planum fecit. Et altero die, professor Albertus Castro nomina, habitus et mores avium illius regionis docuit. Ad hæc, ipse quoque coram omnibus nonnihil de Caroli Linnæi vita


et operibus disserui.

Die xxvii solis ortum pâne antevertimus ut, Villa Faciei Sordidæ relicta, navem destinatam ad ultimam ac amoenissimam stationem ascenderemus. Lacus quidam mediis in montibus septentrionalibus Cataractis situs est qui vulgo *Lake Chelan* vocatur. Et in ultima parte septentrionali illius est oppidulum quoddam, cui nomen est *Stephekin*. Ea nobis ultima statio fuit, ubi duos dies sequebamur semitas, et tonantibus late alteque cataractis fruebamur, et in casula ex arboribus confecta cenam re vera armentariam opipare coctam magnis sane portionibus sumpsimus. Et dum Stephanus et alteri, ut ita dicam, capri cacumina altissima per ambages petunt, ego, Albertus et Diana, linguarum antiquarum magistra universitaria et optima delineatrix, bellaria patulo sub pistoris acere comedentes vita fruebamur et loci natura.

Qui duos parietes de eadem fidelia dealbare, scilicet ferias simul agere et rem Latinam exercere, velint suadeo eis ut ad Conventiculum Rusticum iter suscipiant.

Ut plus de hoc conventiculo discas, inspicias paginam interretialem hanc:

<http://ttt.boreoccidentales.org/deconventiculis.php> ☒



*Arbores quattuor quæ « Cælebs et tres Gratiae » vocantur. Notate bene, inter Conventiculum Rusticum has arbores neque vidimus neque videbimus. Arbores autem quæ eiusdem magnitudinis vel et maioris sunt vidimus.*

# DE ITINERE EVROPÆO IOANNIS GVILELMI

## COMITIS PALATINI IVVENIS DEQVE STATIONE EIVS VINDOBONENSI A. 1676 (II)

- *scripsit Norbertus Thiel* -

Die 21<sup>mo</sup> m. Mai Londinium [London] advenerunt. Rex Angliae, Carolus II, et uxor eius Catharina, Iacobus dux Eboracensis [York] et Anna uxor iuvenem illum Germanum omni amicitia exceperunt et ad cenas opulentissimas invitaverunt. Oxonii [Oxford] in universitate præsente Gilberto archiepiscopo Cantuariensi [Canterbury] Ioannes Guilelmus more usitato ac sollemni modo doctoratu ornatus est. Orator academicus merita principis laudavit. Oratio eius tam sapido verborum sensu fluebat et tam pathetico animorum motu, ut plerique auditorum oculi piis stillarent lacrimis, ut P. Packenius scribit. Ex aula universitatis educti hospites Germani e turri spectabant amoenum urbis Oxoniensis situm, regionem fertilem et opimam, planam arvis, excultam pratis. Antea typographiam universitariam et celebrem bibliothecam a Thoma Bodley donatam – illam bibliothecam Bodleianam – adierant. In Galliam reversi hospites illustres quinque menses ibi versabantur. Pernocaverunt in palatiis, domibus nobilibus, residentiis Jesuitarum aut in aliorum ordinum monasteriis. Burdigalæ [Bordeaux] Ioannes Guilelmus tussi maligna confectus plures dies domi manere coactus est a patribus Societatis Iesu et a viris nobilibus urbis optime curatus. Ioannes Guilelmus cum parvo comitatu etiam Grandem Carthusiam [Grande Chartreuse] visitavit. Ibi Germanis privilegia specialia erant, quia fundator ordinis Carthusianorum sanctus Bruno natus Coloniae nationis Teutonicæ fuerat et quia Carthusiani patriæ Germanicæ superiorem generalem illius ordinis in illa solitudine regionis montanæ Carthusiæ sedem principalem semper habere voluerant. Monachis Teutonicis in Grandi Carthusia sedilia specialia erant eisdem privilegium erat equis usque ad primam portam monasterii vehi. Ioannes Guilelmus autem et eius comites in bibliotheca monasteriali volumina manu scripta et pulcherrime illuminata admirati sunt.

Mense Octobri per Sabaudiam [Savoie] et Pedemontium [Piémont] Italiam intraverunt et multis urbibus celeribus aditis circum Kalendas Decembres Romam advenierunt. Ioannes Guilelmus comitesque eius habitaverunt in palatio Spada. Iam 5<sup>o</sup> die m. Decembbris Friderico cardinali landgravio Hassiæ propinquo intercedente princeps hereditarius in palatio Quirinali a papa Clemente X amicaliter exceptus est. Beatissimus pater multum de fide et oboedientia domus Palatino-Neoburgicæ erga Sanctam Sedem et vicarium Iesu Christi locutus est. Multum rogavit de singulis familiaribus, de terra Germania, de incolis. Papa Clemens X imprimis principem hereditarium laudavit, quod tam bene Italice locutus est. Multi prin-

cipes exteri, nobiles Itali, prælati, legati Ioannem Guilelmum visitaverunt. Princeps et comites eius etiam loca visu dignissima et ante omnes basilicas patriarchales urbis æternæ adierunt, ut lucrarentur indulgentias anni sancti. Nam ille annus fuit annus sanctus. Etiam Christina, olim regina Sueciæ, quæ postquam demissa fide protestantica regno quoque se abdicavit, sedem mutavit et Romæ versata est, Ioannem Guilelmum amicissime exceptit et multimodo donavit. Die 30<sup>mo</sup> m. Ianuarii anno 1676<sup>o</sup> in collegio Jesuitarum Romano sollemnitas eximia facta est, ut honoraretur princeps Neoburgicus. Ut mos erat, Ioannes Guilelmus longa, docta, panegyrica oratione honoratus est. Alumni plurium classium epigrammata Latina in honorem principis coævi recitaverunt.

Via Appia excursionem Neapolim [Napoli] et ad campos Phlegræos in regione Puteolorum [Pozzuoli] sitos fecerunt. In illa excursione princeps etiam dominium parvum, baroniam Roccam Wilhelmianam [Rocca Guglielma] prope Aquinum [Aquinio] oppidum sitam, adiit, quod dominium hereditate in possessionem domus Palatino-Neoburgicæ venerat. Ibi incolæ principem iuvenem quasi dominum terræ venerati sunt explicatis vexillis, accensis ante fores luminibus, triumphalibus per plateas arcubus, explosionum et campanarum et acclamationum iucundo per montes et valles reboatu sive echo. Et ille mox ad conclave interius redux raro illius ætatis exemplo admittit singulos, audit omnes supplicesque recipit libellos nec unicum sine consolatione dimittit. Iam memoravi principem optime Italice scivisse et ideo cum incolis Roccæ Wilhelmianæ in eorum lingua vernacula locutum esse. Inquili plateas arcusque sententiis Latinis ornaverant sicuti ‘Veni, Domine et noli tardare !’ aut ‘Surge et lætare, o Rocca, quia si in tenebris fuisti, ecce lumen tuum venit.’

Iterum Romam reversi septimanam sanctam et festum Paschale ibi cum papa celebraverunt. Per Italiam septentrionalem cum stationibus Florentina [Firenze], Bononiensi [Bologna], Venetiana [Venezia] finibus Sacri Imperii Romani appropinquarent. Dum describebat P. Packenius stationem itinerantium Florentinam, nihil memoravit de Maria Anna Ludovica, illa pulchra Medicæa, tum temporis puella octo annorum, quæ postea secunda uxor Ioannis Guilelmi foret.

Die 28<sup>mo</sup> m. Mai Clagenfurtum [Klagenfurt] Carinthiæ advenerunt. Antea postquam pontem fluvii Pontasselbach transgressi sunt, solum Germanum attigerunt et in lauta cena Leopoldo I Augusto suo longævos annos, seram posteritatem, pacem et bellum felix læte et liquide precabantur. Clagenfurti comes de

Rosenbergh provinciæ gubernator principi hereditario felicem in Germaniam redditum gratulatus est. A sequentis diei pluvia omnes maduerunt. Itinerarium sequens fuit hoc : Knittelfeld - Muri Pons [Bruck an der Mur] - Neostadium sive Neapolis Vindobonensis [Wiener Neustadt].


Die secundo m. Iunii in Traiskirchen tribus ab urbe Vindobonensi [Wien] horis duo barones obvii quinis curribus eduxere Ioannem Guilelmum in urbem Vindobonam ad palatium comitis Trauhn a sua maiestate ipsa advenæ illustri constitutum.

Rhenani advenæ valde admirati sunt pietatem imperatoris Romanorum Leopoldi, qui ex nuperis febribus licet adhuc debilis atque infirmus, tamen die festo Corporis Christi ardente cereo pedes veluti minimus cliens Regem regum id est Sanctissimum Corpus Christi sequebatur. Advena iuvenis per liberum baronem von Goltstein audientiam a Leopoldo Cæsare petivit, quam ille ei celeriter dare dignatus est.

Inter Cæsarem et comitem Palatinum iuvenem statim amicitia et fides ortæ sunt. Valedicens imperatorem rogavit, ut sibi liceret quam sæpissime ad eum redire. Leopoldus studium iuvenis magni æstimavit. Eleonora ducissa de Gonzaga, linea Mantuanæ [Mantova], mater imperatoris, vidua Ferdinandi III (+ 1657), imperatoris Romanorum, hospitem illustrissimum in palatium suum Favoriten invitavit. Ibi vidit Mariam Annam archiducissam Austriae adamavitque. Duabus annis post Ioannes Guilelmus eam in matrimonium duxit.

In statione Vindobonensi comes Palatinus gaudia et dolores familiae Cæsareae vivaciter participavit. Cum lugentibus lugebat, cum Claudia Felicitas nata comitissa Tyrolensis [Tirol], secunda uxor Leopoldi I, obisset, cum nuntius mortis papæ Clementis X Vindobonam afferretur. Sed cum lætantibus quoque lætabatur, delectatus est cum æqualibus venatione, voluptate pisationis, alitum capture sive aucupio. Vespere animi nobilium musica aulica vel theatro delectabantur.

Mense Augusto Ioannes Guilelmus Cæsarem in peregrinatione sacra ad Beatam Mariam Virginem Cellensem [Mariazell] comitatus est. Pridie Idus Octobres comes Lamberg rediit Neoburgo Cattorum sive Neoburgo Danubii [Neuburg an der Donau]. Ille nuptias Leopoldi et Eleonoræ, maximæ natu sororis Ioannis Guilelmi, conciliavit - et hoc magno cum successu. Nam pater Eleonoræ, Philippus Guilelmus, nuptiis libentissime assensus est. Maximum ortum est gaudium et in aula Cæsarea et in urbe Vindobonensi inter cives capitatis imperii. Ioannes Guilelmus nunc sæpius hospes fuit mariti sororis futuri. Tamen iuvenis - iam



duo annos itinerans - desiderio patriæ et familiarium captus redire voluit. Maximo itinere quattuor dierum Vindobona Neoburgum vectus est. Die 25<sup>th</sup> m. Novembris, quo die Philippus Guilelmus diem natalem suum celebravit, filia sua Eleonora a Ferdinando principe von Dietrichstein imperatrix Romana omni solennitate promulgata est. Ineunte m. Decembri Eleonora comitata parentibus et Ioanne Guilelmo et Wolfgango Georgio fratribus Passavium [Passau] profecta est. Ibi pridie Idus Decembres nuptiæ Leopoldi I Cæsaris et Eleonoræ comitissæ Palatinæ celebratae sunt sollemni officio divino, musica aulica et carminibus Latinis et Theodiscis recitatis. Leopoldus Cæsar augustissimus usque ad finem imperii sponsæ suæ obviam vectus erat.

Tum familiares Philippi Guilelmi Oettingam [Altötting] se contulerunt, ut ibi imaginem thaumaturgam Beatissimæ Virginis venerarentur. Diversis viis parentes Neoburgum redierunt, fratres principes episcopos diceceseon Germaniæ meridionalis visitaverunt : Eistettensem [Eichstätt], Bambergensem [Bamberg], Herbipolensem sive Wirceburgensem [Würzburg]. Cum Ioannes Guilelmus Darmstadii apud propinquos matris suæ versaretur, ei epistula allata est, qua Damianus von der Leyen, archiepiscopus et elector Moguntinus, eum invitavit ad adeundam urbem suam. Ergo hospes illustris auream Moguntiam se contulit. Ibi - sic scribit Packenius - in aula electoralı non pauci dapiferorum Palatinorumque vinolentis succubuere fluctibus in ipso portu passi fere et sanitatis et rationis naufragium. Tum comes Palatinus Rhenogaviam [Rheingau] pertransivit, terrestrem Germaniæ paradisum, in quo circum oppidum Altam Villam sive Eltvillam [Elfeld, nunc Eltville] vinum sapidum gratumque

crescit, quod nec Gallia neque Italia gignit. Postero die more ecclesiæ cineres reverenter acceperunt – nam fuit dies cinerum. Ioannes Guilelmus postquam non sine periculo scopulos Bingenses [Bingen] medio in Rheno flumine absconditos nave circumvectus est, Baccheraco [Bacharach] et Cobæ [Kaub] appropinquavit, quæ oppida erant Electoris Palatini. Hic et Wesaliæ [Oberwesel] lætus serenissimi comitatus adventus per vocalissimas tormentorum machinas civibus nuntiatus est.

Apud Confluentes [Koblenz] Ioannes Guilelmus et comitatus eius invitante Ioanne Hugone de Orsbeck archiepiscopo et electore Trevirensi arcem Ehrenbreitsteinianam [Ehrenbreitstein] adierunt. Serus vesper, ut scribit Packenius, arsit in ipsa Rheni Mosellæque confluentia ignibus missilibus in mille formas artifice manu figuratas. Tum prætervecti Bonnam [Bonn] advernerunt Coloniam Agrippinam, cuius bini consules Cronebergh et de Groote cum syndico post urbanissimam gratulationem ducem reducem nobilissimo vino donaverunt et amicam semper viciniam et constantes serenissimi ducis favores petierunt. Statio nocturna erat Mulheimium [Köln-Mülheim], ducatus Montensis oppidum, nunc suburbium transrhenanum Coloniae Agrippinæ. Postero die, die sexto m. Martii anno 1677<sup>mo</sup> dux iuvenis comitesque eius vento verso et Rheno non parum turbato Dusseldorpium moverunt. Stabat hic nobilitas utriusque ducatus, primi ministri, sanctiores consiliarii, optimates magno numero ad exosculandas serenissimorum suorum principum manus collecti.

Dominus territorii futurus omnibus honoribus a populo et viris honoratioribus exceptus est et cives eum ad ecclesiam Divæ Virginis collegiatam prosecuti sunt. Ibi Ioannes Guilelmus officialiter iter biennale finivit Deo et angelis tutelaribus grates dixit maximas pro salvo peregrinationis conductu. Precatus est : « Tu, Dominus virtutum, ubique nobiscum fuisti, Tu passus omnes et singulos per biennium promovisti, Tu, Domine, in æstu umbraculum, in pluvia et frigore tegumentum, in lassitudine vehiculum, in naufragio portus fuisti. »

Ioannes Guilelmus iuvenis sedecim annorum per biennium procul a patria fuit, splendidas aulas regias Londiniensem et Parisinam, aulam Cæsaream Vindobonensem, urbem æternam vidit, artem omnium sæculorum cognovit, a magnatibus suæ ætatis exceptus et salutatus est, multis locis sanctis ecclesiæ catholicæ genibus nixus precatus est et vicario Iesu Christi ipsi cultum tribuit. Ioannes Guilelmus postea princeps magnificus factus est, territorium eius a Mosa et Rheno inferiore usque ad Danubium pertinuit, dignita-

te electorali decoratus est, familia magna et splendida prædictus fuit, gloria eius usque ad nostra tempora durat. Ænea statua eius in equo sedentis Dusseldorpii in urbe vetere posita est.

Gratias Vobis maximas, amici et amicæ Latinitatis, pro Vestra patientia auscultandi, pro attentis animis ! Dixi. ■

Libri utiles :

- Hercules Prodicius seu Carolus, Juliæ, Cliviæ ac Montium princeps, in Joanne Wilhelmo, comite Palatino Rheni, nepote post sæculum redivivus. Authore reverendo P. Ioanne Pakenio, societatis Jesu ss. (=sacratissimæ) theologiae licentiatu. Coloniæ Agrippinæ typis Petri Alstorff anno 1679 (608 pp.) Hartzheim, Iosephus : Bibliotheca Coloniensis, Coloniæ Augustæ Agrippinensium 1747, p. 191 (de P. Ioanne Packenio SJ)
- Lieck, F. J. : Ein Boslarer als Reisebegleiter des Erbprinzen Johann Wilhelm [Vir Boslarensis socius itineris Ioannis Guilelmi, principis hereditarij]. P. Johannes Packenius SJ (1626-1681), in : Heimat-Kalender für den Kreis Jülich 1955, 5. Jahrgang, pp. 41-44
- Kuehn-Steinhausen, Hermine : Johann Wilhelm, Kurfürst von der Pfalz, Herzog von Jülich und Berg (1658-1716) [Ioannes Guilelmus, elector Palatinus, dux Juliaci et Montium], Düsseldorf 1958
- Ead. : Die letzte Medicäerin - eine deutsche Kurfürstin [Ultima Medicæa - principissa electrix Germana], Düsseldorf 1939
- Schmidt, H. : Kurfürst Karl Philipp von der Pfalz als Reichsfürst [Carolus Philippus, elector Palatinus, princeps quoque Sacri Imperii Romani], Mannheim 1963
- Demel OT, P. Bernhard : Franz Ludwig von Pfalz-Neuburg als Hoch- und Deutschmeister (1694-1732) und Bischof von Breslau (1683-1732) [Franciscus Ludovicus, comes Palatino-Neoburgicus, magus magister ordinis equestris Teutonici et episcopus Wratislaviensis], in: Jahrbuch der Schlesischen Friedrich-Wilhelms-Universität zu Breslau, voll. 36/37, Sigmaringen 1995/96, pp. 93-150
- Vollmer, B. : Jugendbriefe des Pfalzgrafen Johann Wilhelm und seiner Geschwister [Litteræ iuveniles Ioannis Guilelmi, comitis Palatini, eiusque fratrum et sororum], in : Düsseldorfer Heimatblätter, V. Jahrgang, 1936, pp. 3 sqq.
- Schaab, M. : Geschichte der Kurpfalz [Historia Electoratus Palatinii], voll. 2, Stuttgart et al. 1988-1992
- Hæusser, L. : Geschichte der rheinischen Pfalz [Historia Palatinatus Rhenani], voll. 2, Heidelberg 1845
- Kniffler, G. : Das Jesuiten-Gymnasium zu Düsseldorf [Gymnasium Jesuitarum Dusseldorpianum], Düsseldorf 1892
- Bérenger, Jean : Histoire de l'Empire des Habsbourg 1273-1918 [Historia imperii Habsburgensium], Paris 1990 ; versio Theodisca facta a Marie Therese Pittner et sub titulo edita : Geschichte des Habsburgerreiches 1273-1918, 2. editio, Wien, Köln, Weimar 1996
- Græsse-Benedict-Plechl : Orbis Latinus. Lexikon lateinischer geographischer Namen. Lateinisch-Deutsch. Deutsch-Lateinisch [Lexicon nominum geographicorum Latinorum. Latinum-Theodiscum. Theodiscum-Latinum], 4. editio revisa et aucta, Braunschweig 1971

## DE MIRO PER AERA VEHENDI MODO (IV)


- *scripsit Gaius Licoppe* -

**P**eracto primo bello mundano, patet aerostata regibilia ad usum militarem non esse apta ; eis contra non deest efficacitas in usu civili ; aeroplana enim tunc temporis non possunt vectorum greges transportare, id quod possunt aerostata. Qui futuras naves aerostatas exsuffrant ?


Germani iam non possunt, qui, sua reliqua aerostata vitoribus ex pacto tradere coacti, pleraque potius deleverunt.

Angli aerostata construere statuunt, imitando zepelinum L33, quod anno 1916 læsum ad Angliam appulsum est adhuc satis integrum. Anno 1919 duo aerostata rigida, ut aiunt, R33 et R34 parata sunt ; 193 metra longa atque 50 milia cubicorum metrorum capacia, velocitatem 90 chiliometrorum horalium sustinere possunt.

Instans provocatio in mundo tunc spectat ad oceani Atlantici transitum per aera. Ineunte æstate anni 1919, duo aeroplana, unum Americanum, alterum Anglicum, prima transvolant Atlanticum ab Occidente ad Orientem ; nullum autem aeroplanum tam longum volatum facere potest ab Oriente ad Occidentem propter vim favonii. Hoc facinus aerostatum R34 primum facere valet ineunte mense Iulio. E Scotia cum tringita vectoribus profectum, Terram Novam tribus diebus post supervolat et iter pergit ad Neoeboracum. Non longe ab hac metropoli exspectatur ad oppidum Mineolam, quo iam confluxit multitudo spectatorum ; ibi tamen nemo scit quomodo aerostatum regibile arripiendum et sistendum sit in appellendo ; numquam enim antea huius modi aerinavis Americam supervolavit ; unum restat, ut unus ex aerinavitis rei peritus decidiculo suspensus desiliat et operarios moneat ; sic feliciter R34 appellitur post continuum volatum 108



*Pars fractæ aerinavis Britannicæ R38 cecidit in rivum Humber atque comburitur.*




*Aerinavis Americana « Los Angeles » ad ingentem malum metallicum deligata subito vehementique vento incommodo erigitur.*

horarum, tunc omnium longissimum. Triduo triumphali Neoeboraci acto, aerinautæ suam navem iterum condescendunt et multo celerius quam in aditu incolumes in Magnam Britanniæ perveniunt. Hic felix exitus non impedit quin Angli propter improsperas oeconomicas condiciones usum aerostatorum relinquant.

Americanæ soli adhuc cogitant de aerostatorum usu militari. Qui putant ea utilia fore ad oceanum Pacificum speculandum, cum ibi possessiones Americanæ una ab altera multum distent. Præterea in solo Americano invenitur helium, quod gasum non solum æque leve est ac hydrogenium, sed præsertim comburi non potest ; eius pretium tamen multo maius est quam hydrogenii. Americani statuunt aerostatum ZRI ipsi exstruere et in Magna Britanniæ aerostatum R38, maximum illius temporis, emere. Anno 1921 aerinautæ Angli et Americani ultimas probationes aerostati R38 agunt ante volatum ad Americam, sed, dum cursum dextrorum et sinistrorum satis abrupte flectunt, aerinavis per medium inopinanter frangitur eiusque duæ partes cadunt altera in flumen, altera in solum. Plerique aerinautæ pereunt.

Hac tamen catastropha Americanorum animus non frangitur ; non solum aerostatum ZRI exstruere incipiunt, sed alterum a societate Germanica Zeppeliniana sibi mandant. Anno 1923, mense Septembri, ZRI, primum aerostatum regibile helio inflatum, perfectum est ; 204 metra longum, nomen « Shenandoah » accipit, id quod in quodam Indiano idiomate valet « Filiam stellarum ».

Hac aerinave volunt polum arcticum supervolare, sed antea magnum circuitum faciunt per Foederatas



In bac mappa geographica regionum arcticarum linea indicatur transvectio aerostati regibilis « Norge » anno 1926 facta et funestum iter eiusdem aerostati anno 1928.

Civitates Americæ Septentrionalis, incolis vehementer gaudentibus. Tunc in Americanam advolat zeppelinium in Germania fabricatum, cui nota ZR3 et nomen « Los Angeles » datum est. Non satis helii in promptu est ad duas aerinaves inflandas ; helium transfertur in novum « Los Angeles », quod paucos annos munere speculatoris functurum est non sine nonnullis casibus ; propositum autem poli arctici supervolandi relinquitur.

« Shenandoah » anno 1925 iterum armatur, sed hydrogenio inflatur. Mittitur ad Missuriam. Dum Ohium supervolat, atræ nubi occurrit, cui nauarchus non diffidit ; mox vero in medium procellam intrat atque incredibili celeritate sursum tollitur ventis ascendentibus. Mox turbidis ventis in gyrum cietur atque in duas partes frangitur ; navicella cum nauarcho et parte aerinatarum cadit ut lapis, sed aliæ aerinavis partes ita lente descendunt, ut altera aerinatarum pars incolmis servetur.

Francogalli unum tantum aerostatum regibile habent, i.e. zeppelinium a Germanis post bellum traditum, cui nomen datur « Dixmude ». Ab optimo nauarcho Iohanne Du Plessis de Grenedan ductum, nonnulla facinora facit, inter quæ volatum 118 horarum supra Saharam. Anno 1923, hieme, dum ex Africa septentrionali revertitur in Francogalliam, aerinavis fulmine incenditur atque disploditur ; nullus est superstes. Francogalli tum consilium aerostatorum adhibendorum deponunt.

Propositum poli arctici supervolandi in nonnullorum hominum mente hærere non cessat. Inter eos Roaldus Amundsen, Norvegiensis clarissimusque

regionum arcticarum explorator, qui anno 1911 primus usque ad polum antarcticum pervenit, anno 1926 sibi proponit ut polum arcticum attingat. Sumptibus zapluti Americani Lincoln Ellsworth, emit aerostatum semi-rigidum « Norge », quod in Italia exstruxit ingenarius Humbertus Nobile. Inter se constituant ut in Insulas Acutorum Montium (*Spitzbergen*) convenient, unde brevius est iter ad polum.

Humbertus Nobile, aerostato vectus, Roma proficiscitur et breves stationes facit in raris locis instructis ad aerostata accipienda, i.e. in Anglia, in Norvegia et Lenipoli, ubi in Cæsarum palatio magnifice invitatur ad pernoctandum. Cum in Insulas Acutorum Montium pervenit, grex Americanorum, duce locumtenente nautico Bird, illic iam est atque parat ad polum aeroplano volare. Duobus diebus antequam aerostatum paratum est, Bird avolat atque primus polum supervolare valet.

Decepto Amundsen restat ut maius facinus faciat. Una cum Nobile et quattuordecim aerinautis, mense Maio anni 1926, ab Insulis solvit et ad septentrionem volat. Est iter 1240 chiliometrorum usque ad polum ; hic volatus est maxime periculosus, cum nulla spes auxilii sit in his immensis solitudinibus glacialibus. Postero die aerostatum « Norge » polum lente supervolat, altitudine 180 metrorum. Tunc Amundsen vexillum Norvegicum in æquor glaciale demittit ; statim post idem facit Nobile, maius vexillum Italicum demittens ; hoc est initium perennis litis inter conductorem auctoremque Amundsen et conductum nauarchum Nobile.

Navigatio autem nondum est perfecta ; plus 1500 chiliometra supersunt emetienda antequam terram Americæ septentrionalis tangant. Polo supervolato, gaudio succedit magna molestia ; vitæ enim condiciones pessimæ sunt ; homines vix quiescere possunt in navicella nimis exigua, intolerabiliter frigida et sorrida facta. Tertio tandem die vigil clamat : « Terram video ! ». Una hora post, aerostatum incolume in Alaskam appellunt ad stationem « Point Barrow » dictam. Sic primi transierunt totum oceanum Arcticum. Aerostatum « Norge » 12.500 chiliometra, sive tertiam partem circuitus orbis, feliciter emensus est.

Amundsen expeditionis auctor et conductor sibi totum meritum tribuit, quare valde stomachatur cum Nobile potius triumpho afficitur in America. Nobile etiam in Italiam, ubi tunc viget regimen fascistarum, duce Mussolini, cum summis honoribus recipitur. Idem iam de novis facinoribus cogitat ; maxima enim regionum arcticarum pars nondum explorata est. Municipio Mediolanensi suadere valet ut pecuniam det, qua novum aerostatum exstruatur. Itaque anno

1928 novum aerostatum « Italia » vocatum Insulas Acutorum Montium petit, unde primum ad Terram Viridem (*Groenland*), deinde ad polum volat. Optima tempestate fruentes Nobile eiusque quindecim comites valde commoti in polum demittunt vexillum Italicum, insignia urbis Mediolani et magnam crucem, quam dedit papa Pius XI.

Tunc, suadente meteorologista, Nobile statuit ad Insulas Acutorum Montium reverti. Infeliciter tempes-tas valde mutatur. Aerostatum contra ventum volat in nebula. Vehementer ningit, crusta glacialis aerostatum paulatim cooperit, helices etiam glacie incrustatae frag-menta glacie in aerostati corticem proiciunt infernali cum strepitu. Gubernaculo subito impedito, necesse est motra sistere, unde fit ut aerostatum quingentis metris sursum tollatur. Ibi supra nebulam sol lucet, unde aliud periculum ; nam sol radiis suis gasum cale-facit dilatatque, cuius magna copia per clipeos evadit et perditur. Refecto gubernaculo motrisque iterum accen-sis, Nobile in nebulam descendit ne gasum diutius perdat. Nimiam tamen copiam iam perdidit, quare aerostatum, gravius graviusque factum propter glaciei crustam, inexorabiliter descendit...

Catastropa vitari iam non potest. Aerostatum glaciei æquor salebrosum vehementer tangit, quo collisu principalis navicella avellitur. Aerostatum, subito levius factum, ascendit, sed sex aerinatæ, qui in minore navicella sunt, se dirigere non iam possunt. Nemo scit quomodo, venti ludibria facti, miserabiliter perierint.

In maiore navicella, quæ in æquore glaciali iacet, supersunt decem aerinatæ ; inter eos Nobile, cui duo dextra membra sunt fracta. Hi quandam spem salutis concipiunt, cum inter armamenta salutaria inveniunt emissorium Hertzianum integrum et cibaria sesqui-mensis. Statim signum S.O.S. emitunt et tentorium instruunt. Cottidie signum S.O.S. iterant, sed frustra ; nuntios contra Roma emissos captare possunt, quibus iam autumatur aerostatum « Norge » periisse nec ullum nautam supervixisse. Sexto die post cladem, tres eorum conari statuunt Insulas Acotorum Montium pedibus petere, quæ trecentis circiter chiliometris a navicella distant.

Duodecimo demum die quidam iuvenis Hertzianæ communicationis amator in Unione Sovietica signum S.O.S. recipit clademque orbi patefacit. Postero die Nobile eiusque sex comites, cum ex radiophono com-periunt auxilia ad se mitti, novam spem concipiunt. Septem civitates mittunt auxiliatores aeroplanis, et Unio Sovietica nave glacirupa « Krassine ». Ipse Amundsen Francogallicum aeroplano aquaticum

conscendit, inimico suo auxilium latus ; dum ad sep-tentriones volat, aliquo ignoto casu aeroplano una cum Amundsen disparet, nullo relicto vestigio.

Vicesimo sexto die post cladem, aeroplano Italicum tentorium superstitione adspicit atque ad eos cibaria demittit. Tribus diebus post, Suetus aeroplaniga non timet aeroplano aquaticum in glaciale æquor appellere iuxta superstitione tentorium. Unum tantum ex eis secum auferre potest ; qui futurus est Nobile, quamquam decet ducem ultimum salvari. Hoc ei postea vehementer obiicietur. Suetus aeroplaniga postero die revertitur, sed infeliciter in appellendo aeroplano frangit et cum ceteris captivus manet glacialis æquoris.

Superstitione fortuna in summum discrimen paulatim adducitur ; ineunte enim æstate, glacies, qua oce-anum Arcticum hieme obducitur, gradatim liquevit, ita ut aeroplane appelli iam non possint ; ipsum tentorium in eo est ut mergatur. Sola spes salutis tunc nititur in nave glacirupa, quæ lentissime progreditur.

Quinquaginta diebus post aerostati cladem, navis vigil clamat : « Hominem video ! ». Incredibile ! Duo ex tri-bus, qui Insulas pedibus petere statuerant, exhausti post 42 dies vagationis, contra omnem spem salvi sunt ; tertius in itinere iam diu perii. Paulo post navis tentorium appropinquare valet ultimosque superstites recipit.

Nobile, in Italiam reversus, a populo triumphaliter recipitur ; regimen autem fascistarum eum non amat ; fascistæ eum tantum calumniantur, ut patriam relin-quere debeat. In Unionem Sovieticam emigrat, ubi nonnulla aerostata exstruere pergit. ☣

(continuabitur)



Tentorium naufragorum aerostati « Norge » in magno discrimine propter glaciem liquecentem.

# DOCVMENTA QVÆDAM ACADEMICA LATINO SERMONE NVPERRIME EXARATA

- quæ proposuit Theodericus Sacré -

Duo diplomata dr. h.c. Lovaniensium (2003)

ANDREAS OOSTERLINCK, FACVLATIS SCIENTIARVM AD VSVM PERTINENTIVM PROFESSOR ORDINARIVS, EARVNDEM SCIENTIARVM DOCTOR NECNON DOCTOR MAGISTRALIS, EX PRAESIDE CONCILII FLANDRICI DISCIPLINIS PVBLICE CVRANDIS, STVDIORVM VNIVERSITATIS CATHOLICAE LOVANIENSIS IN VRBE LOVANIENSI ITERVM RECTOR, OMNIBVS PRAESENTES LITTERAS INSPECTVRIS SALVTEM.

CVM EXIMIVS VIR EMINENTISSIMVS AC REVERENDISSIMVS DOMINVS VALTHARIVS CARDINALIS KASPER, THEOLOGIAE DOCTOR, EXPROFESSORE THEOLOGIAE DOGMATICA APVD STVDIORVM VNIVERSITATES MONASTERIENSEM ET TVBINGENSEM, PROFESSOR TVBINGENSIS AD HONORES, PROFESSOR PEREGRINV S QVI FVIT OLIM CVM ALIORVM ATHENAEORVM, TVM CATHOLICAE VNIVERSITATIS AMERICANA, QVAE EST VASINTONIAE, ET PONTIFICIAE VNIVERSITATIS GREGORIANAE IN VRBE, DOCTOR HONORIS CAVSA STVDIORVM VNIVERSITATIS A MARCO BLOCH NVNCVPATAE ARGENTORATENSIS, VIRGINOPOLITANAE INDIANENSIS, CATHOLICAE AMERICANA VASINTONIENSIS ATQVE A SANCTA MARIA APPELLATAE BALTIMORENSIS, SOCIVS SCIENTIARVM ACADEMIAE HEIDELBERGENSIS NECNON SCIENTIARVM ARTIVMQVE ACADEMIAE EVROPAEAE, MVLTIS CETERVM HONORIBVS ET PRAEMIIS DISTINCTVS, EPISCOPVS ROTTENBURGENSIS-STVTGARDIENSIS QVI FVIT ANTE SACRAE PVRPVRAE DIGNITATEM SIBI DELATAM, PONTIFICII CONSILII AD VNITATEM CHRISTIANORVM FOVENDAM ANTEA A SECRETIS, HOC TEMPORE PRAESES, THEOLOGIAE PERITISSIMVS ET EXPERTISSIMVS VERITATIS INVESTIGATOR, QVAE RATIONES VERVM INTER ET TEMPORVM LOCORVM VE CONDICIONES INTERCEDANT AC QVATENVS THEOLOGICA QVOQVE VERITAS CVM RERVM ADVNCTIS COHAEREAT DIV MEDITATVS LONGA LIBRORVM, COMMENTATIONVM, ACROASIVMQVE SERIE PERSCIENTER ET PERSVASIBILITER EXPOSVERIT;

CVM NON TEMPORIS ACTI LAVDATOREM SE GESSERIT TAMQVAM SI IN PLATONICA VIVERET ALIQLA REPVBlica, SED HVIVS AEVI INDOLE PERSPECTA HABITAQVE RATIONE HORVM TEMPORVM MENTIS SENVSQVE, QVIBVS MODIS IN TANTA OPINIONVM DIVERSITATE ET SENTENTIARVM MVLTIPLICITATE, PLVRIBVS IN ANNOS OMNEM INFITANTIBVS DIVINITATEM, SERMO DE DEO DEQVE VERBO DIVINO CVM HOMINIBVS SIT HABENDVS COLLOQVIVMVE DE EIS REBV CVM POPVLO INSTITVENDVM ASSIDVIS COGITATIONIBVS VOLVERIT SCRITIONIBVSQVE EVOLVERIT EAQVE IN RE PRIMAS IPSIVS IESV HOMINVM REDEMPTORIS VERBIS, SECUNDAS TRADITIS ECCLESIAE DOCTRINIS SEMPER TRIBVERIT;

CVMQVE NVLLIS PRAEIVDICATIS OPINIONIBVS NIXVS CONCORDIAM INTER GENTES DIVERSAE FIDEI SINCERE ET CANDIDE FOVERIT ITA COPVLAVERITQVE VT DECLARATIONIS ILLIVS AVGVSTANAE DE DOCTRINA IVSTIFICATIONIS PATER FVERIT ET AVCTOR, EAQVE EFFECERIT VT LVtherani ET CATHOLICI CHRISTIFIDELES INTER SE MINVS ABALIENARENTVR, CVMQVE EODEM FERE MODO IVDAEAS ET CATHOLICI NOMINIS GENTES INTER SE CONCILIAPERIT MAGIS ADVNAVERITQVE STRENVVS AC FORTIS OECUMENISM PROPAGATOR;

NOS PRO POTESTATE NOBIS FACTA ET CONCILIO ACADEMICO ADSENTIENTE EVNDEM EXIMIVM VIRVM EMINENTISSIMVM AC REVERENDISSIMVM DOMINVM VALTHARIVM CARDINALM KASPER DOCTOREM HONORIS CAVSA CREATIMVS ET RENVTIAVIMVS.

CVIVS REI VT FIRMA SIT AC TESTATA FIDES, DIPLOMA HOC PVBLICVM A NOBIS VNA CVM ALTERO A RECTORE PRO DISCIPLINIS HVMANIORIBVS SVBSCRIPTVM ET VNIVERSITATIS SIGILLO CONFIRMATVM DANDVM CVRAVIMVS.

LOVANII, ANTE DIEM TERTIVM NONAS FEBRVARIAS ANNI MMIII.

MARCVS VERVENNE  
ALTER A RECTORE  
PRO DISCIPLINIS HVMANIORIBVS

ANDREAS OOSTERLINCK  
RECTOR

A B OBLIVIONE VINDICENTVR...

ANDREAS OOSTERLINCK, FACVLTATIS SCIENTIARVM AD VSVM PERTINENTIVM PROFESSOR ORDINARIVS, EARVNDEM SCIENTIARVM DOCTOR NECNON DOCTOR MAGISTRALIS, EX PRAESIDE CONCILII FLANDRICI DISCIPLINIS PVBLICE CVRANDIS, STVDIORVM VNIVERSITATIS CATHOLICAE LOVANIENSIS IN VRBE LOVANIENSI ITERVM RECTOR, OMNIBVS PRAESENTES LITTERAS INSPECTVRIS SALVTEM.

CVM EXIMIVS VIR GERARDVS ERTL, RERVM NATVRALIVM DOCTOR, MODERATOR INSTITVTI A FRIDERICO HABER NVNCVPATI QVOD EST SOCIETATIS MAXIMILIANI ILLIVS PLANCK BEROLINENSIS, EXPROFESSORE STVDIORVM VNIVERSITATIS TECHNICA HANNOVERENSIS ET STVDIORVM VNIVERSITATIS MONACENSIS, APVD BEROLINENSES PROFESSOR HONORARIVS TAM IN LIBERA STVDIORVM VNIVERSITATE QVAM IN TECHNICA ET HVMBOLDINA, DOCTOR HONORIS CAVSA VNIVERSITATIS STVDIORVM RVRENSIS IN VRBE BOCHVMO ET MONASTERIENSIS VESTPHALICAE, SOCIVS ACADEMIAE SCIENTIARVM LEOPOLDINAE, ITEM ACADEMIAE EVROPAEAE ALIARVMQVE SOCIETATVM DOCTARVM SODALIS, PROFESSOR PEREGRINV S QVI FVIT PASADENAE ET BERKELEIAE APVD CALIFORNIANOS ET MILVAUKIAE APUD VISCONSIANOS, VIR MVLTIS PRAEMII HONESTATVS, INTER QVAE ET IAPONICVM ILLVD NECNON WOLFIANVM, PHYSICO-CHEMISTA SVMMO INGENIO PRAEDITVS NOVAS RATIONES AC VIAS ADHIBVERIT QVIBVS QVO MODO SE GERANT MOLECVLAE IN PROCESSIBVS CHIMICIS PENITIVS INTELLEXERIT;

CVM ACVMINE VSVS MAXIMO AC NOVISSIMIS EXCOGITATIS ET ELEGANTISSIMIS ARTIFICIIS INSTRVMENTISQVE, VELVTI LASERICIS NECNON MIRAE SVBTILITATIS MICROSCOPICIS, AD ILLAS QVAESTIONES PRAE CETERIS ANIMVM APPLICVERIT FELICITER EXPERIMENTAQVE DIREXERIT SVA, VNAM, QVID FIERET CONVENIENTIBVS INTER SE SOLIDIS CORPORIBVS SVPERFICIALIBVS ET GASOSIS VEL LIQVIDIS PHASIBVS SIVE STATIBVS, ALTERAM, QVALIS APPARERET CATALYSIS AD ATOMOS IPSAS RESPICIENTI, TERTIAM, POSSENTNE PROCESSVS ET REACTIONES CHEMICAE TEMPORALITER ET DILIGENTIVS EXACTIVS DESCRIBI, CVMQVE EA OMNIA INNVMERO FERE SCRIPTIOMVM NVMERO ENVCLEAVERIT;

CVMQVE TAM SVO EXEMPLO ALIIS CVRSVM OSTENDERIT QVEM TENERENT EXPERIMENTA INSTITVTVRI QVAE VSV INDE DERIVANTE MOMENTVM HABERENT NON LEVE, QVAM ALTER A PRAESIDE SOCIETATIS INVESTIGATIONIBVS DOCTIS TOTA GERMANIA CVRANDIS, FOVENDIS, PROMOVENDIS VALDE CONTVLERIT VT INDAGATIONES ATQVE INQVISITIONES IN PROBABLES DIRIGERENTVR VIAS;

NOS PRO POTESTATE NOBIS FACTA ET CONCILIO ACADEMICO ADSENTIENTE EVNDEM EXIMIVM VIRVM GERARDVM ERTL DOCTOREM HONORIS CAVSA CREAMIVS ET RENVNTIAVIMVS.

CIVIS REI VT FIRMA SIT AC TESTATA FIDES, DIPLOMA HOC PVBLICVM A NOBIS VNA CVM ALTERO A RECTORE PRO DISCIPLINIS EXACTIORIBVS SVBSCRIPTVM ET VNIVERSITATIS SIGILLO CONFIRMATVM DANDVM CVRAVIMVS.



LOVANII, ANTE DIEM TERTIVM NONAS FEBRVARIAS ANNI MMIII.

VIDO LANGOVCHE  
ALTER A RECTORE  
PRO DISCIPLINIS EXACTIORIBVS

ANDREAS OOSTERLINCK  
RECTOR

# CAMBOSIA (v)

*- narrata ab Alexandro Vanautgaerden -*





¶ Museum cum lustrarem, iuxta nymphæarum piscinas virum sæpe videbam genibus nixum, qui tranquillus observabat aquarum purgationem. Idem surgebat placide, pauca cum operariis loquebatur, tum rursus intrabat ædificium rubrum.

¶ Suspicatus sum eum esse musei rectorem Kunh Samen nomine, cuius comitas erat a Renato Dumont prædicata. Paucis diebus post ausus sum eius aquaticas meditationes turbare ; me commendavi tamquam longinquum collegam ; tempus constituimus perendino die conveniendi.


¶ Eius grapheum, in museo superiore situm, erat satis simplex. Sermonem habuimus officiosum, qualis decet collegas. Dona mutuo dedimus, alter alteri subrisimus, at non sumus ex animo collocuti.

¶ Postero die cum amica mea lepida, quæ ad Khmeros ut ego plus plusque attrahebatur, ad museum redii. Cum in umbroso cavædio paulisper quiesceremus, unus e custodibus affabiliter attulit potionis gelidas a rectore, ut ait, missas, qui nos inscientes desuper observabat.



¶ Rector nos iterum invitavit. Tum demum libere licuit loqui, officio relicto. Kunh Samen inauditum prælium narravit cum vespertilionibus commissum ; quorum sescenta milia musei tectum inhabitabant excrementisque constanter necnon abundantanter emissis museum implebant acri pulvere, qui ubique inhærebat et statuas corrumpebat. Prælium difficile, cum vesperilio in Cambosia habeatur pro thesauro publico. Itaque dolo pugnandum erat ut archæologicci thesaurorum defendentur ab iniuria thesaurorum œcologicorum. Rector autem ingeniose curavit tectum ita duplicandum, ut bestiolis pateret sine reliquarum partium incommodo. Sic intra unum annum Kunh Samen collegit quattuor tonnas exrementorum agricolis vendendorum ; hoc enim stercore brassica potissimum colitur.

¶ Rogavi, num mihi liceret eum photographare. Duæ tabulæ pictæ erant muro suspensæ. Recordatus sum illam rectricem cuiusdam Instituti extranei, de qua in superiore fasciculo actum est, narravisse eum operam dedisse exhibitioni de utopia parandæ et museo « lingæ » (quo vocabulo significatur phallus) dicando. Quæsivi num picturæ pertinerent ad hoc consilium. Ille subridens imagines interpretatus est : hic ostendi musei orthographiam, hic descriptionem, qua monstratur ingens phallus erectus ex ædificio rectiangulo et fossa circumdato. Valediximus rectori de museo « lingæ » somnianti. Visio quasi superrealistica... ☺



## ITER TVRCICVM (II)

- narrat Francisca Deraedt -

**A**phrodisiadis area archæologica est eximie pulchra. Sita est in planicie sub monte *Baba*, altitudine 550 metrorum. Sol october, ut saepe fit in locis archæologis, immisericorditer splendet. Lustrator iuxta viam primum invenit unam e portis mirabiliter adhuc (sive, potius, iterum) stantem, in qua legitur quendam Flavium Constantium sæculo quarto aut quinto refecisse moenia. Quæ moenia hic illic adhuc conspiciuntur. In urbe pæne soli perambulamus forum, porticus, theatrum, templum quod putatur fuisse alicuius Aphroditis indigenæ, sed quarto sæculo transformatum est in ecclesiam. Pleraque sculpturæ et anaglypta hic inventa Constantinopoli nunc ostenduntur in Museo Antiquitatum ; loco tamen suo non pauca remanserunt visu digna. Sed ædificium totius urbis maxime mirandum est ingens stadium 227 metra longum, 22 graduum ordinibus ornatum, optime servatum ; tale nos quidem nondum usquam vidimus.



Aphrodisias : porta urbis

Inde locum petimus *Pamukkale* vocatum, quod nomen valet « castellum xylinum ». Est enim situs extraordinarius, colore liliaceus, iam e longinquō tantum fulgens, ut perspicillo solari carere vix possis. Nam antiqua Hieropolis condita est in calcaria planicie, quam innumeri rivuli aquula sulcant antequam ex altitudine centum metrorum defluunt in planitem fluvii Mæandri. Quo defluxu in rupibus formata sunt per multa « labella », ut ita dicam, candida, aqua plena, quæ liber noster periegeticus poetice describit tamquam « magnas corollas cuiuslibet floris tropici, liliaceo candore ».

Duabus viis ascenditur ad planitem. Eam eligimus, quæ recta dicit ad civitatem antiquam. Ingentem et omnino vacuam aream stativam tutantur duo custodes, quorum unus otiose hietat, alter proclinatus brachii extensis suas facit Islamicas res divinas. Hietanti solvi-

mus pretium autocineti in hac solitudine collocandi. Quid autem ? Ubi sunt periegetæ, qui dicuntur istum celeberrimum locum assidue frequentare ? Acciditne hic aliqua calamitas ? Etiam tabernulae periegeticæ omnes sunt clausæ. Caute procedimus inter urbis vestigia, magis magisque mirantes, dum procul tandem paulatim percipitur humanus rumor. Tum demum intellegimus. Altera via ad summam planitem ascenderunt autorædæ longæ non paucæ, e quibus turba hominum balnearibus vestibus vestita exsiluit in liliaeas piscinulas. Clamant, rident, saltant, tetriciunt ut anaticulæ. Hierapolin autem nemo curat. Eo melius : eam habebimus nobis solis.



Aphrodisias : stadium

Hieropolis dicitur condita esse secundo sæculo a.C.n. ab Eumene II, postquam Romani magnas terras Seleucidis ereptas ei dederunt. Hic locus habebatur pro uno ex infernorum aditibus. Erat enim, ut fama fert, aliqua spelunca, in qua aviculæ infeliciter ingressæ brevi peribant suffocatae. Ex hoc portento urbs videtur nomen accepisse Hieropolin. Eheu simplici explicatione physica evertuntur antiqua miracula : nam innocuae volucres non a Plutone attrahebantur, sed gaso carbonico misere succumbabant, quod efflabatur e fonte aquæ calidæ. Fons ab urbis ædificatoribus inclusus est in pulchro nympheo ; sed, urbe ætate Byzantina paulatim derelicta et diruta, rivuli inde ad rupinam effluxerunt vagabundi et calcarias particulas in rupibus ita deposuerunt, ut illæ formarentur « corollæ liliaceæ ».

Urbs anno 133 redacta est in potestatem Romanam, anno 88 capta est a Mithridate Eupatore, qui eam quatuor annos servavit. Anno 17 p.C.n., Tiberio regnante, terribili terræ motu est deleta, sed postea reædificata. Religio Christiana in ea floruit ; tamen apostolus Philippus ibi martyrium passus est circa annum 87. Cum eius prosperitas penderet ab ea urbis Ephesi,



Hierapolis : museum in thermis instructum

Hierapolis decrescere incepit cum Constantinus urbem caput ad litus Bosphori constituit. Sæculo XI aut XII supra rupes exstructum est castellum, unde nomen urbis Turicum, nam *Pamuk-* significat « gossypium », et *-kale* « castellum ».

Hæc area archæologica minus diligenter curata est quam Aphrodisias, præter museum in thermis ab archæologis Italibus pulcherrime instructum. In antiquis cecis sarcophagi et anaglypta ornatissima exhibentur dulci luce belle illustrata, comitante musica classica. Haud procul inveniuntur nymphei reliquiæ ; fons autem inde non iam scatet. Theatrum est satis bene servatum.

Inter parietinas ambulantes paulatim redimus ad autocinetum. Inde profecti in itinere deerramus, quod facile fit in illis regionibus. Nimis lente progredimur inter vicos remotissimos et sæpe miseros. In aliquo viculo senex interrogatus primum non intellegit – accentus noster Turcicus videtur esse meliorandus –, postea nobis viam affabiliter indicat. Tum superbia inflatus currit ad vicinos, manifesto narraturus se viam extraneis explicasse – res hoc loco remoto prorsus inaudita. Homines rædam circumveniunt, nos salutant. Resalutamus. Iter pergimus.

In deversorium reversi restat ut fruamur cena iuxta natabulum iucunde sumpta. Cibi sunt sapidi, alii typice Turcici, alii magis internationales, omnes opipare prædicti. Minus tamen placet secunda mensa, imprimis socolata, quam comedens tibi videris in ore ligni scobem habere. Belgæ autem, ut omnibus notum est, de solocata eiusque fabricatione paululo sunt morosiores...

Postero die sumus Ephesum et Miletum lustraturi. Quale quantumque destinatum ! Miletus, patria philosophorum Thaletis, Anaximandri, Anaximenis, patria Aspasiæ Periclis amicæ et Hippodami qui Piræum exstruxit ! Ephesus, patria Heracliti philosophi (c. 540-480

a.C.n.), qui dixit « omnia fluere » et « bellum esse patrem et regem omnium rerum » et « deum esse noctem et diem, bellum et pacem, copiam et inopiam » et « eandem esse vitam et mortem, vigiliam et quietem, iuventutem et senectutem, alteram enim utram esse mutationem alterius » et « e scientia non disci sapientiam » ; qui etiam dicebatur semper flere propter spectaculum vitae humanæ ! Ephesus, ubi floruerunt poeta Hipponax, pictor Parrhasius, fortasse Apelles, quem alii putant ex hac urbe, alii Colophone esse oriundum...

Ephesus est urbs vetustissima. Eius origo repetitur ab ultima antiquitate. Tamen scitur secundo millennio a.C.n. regionem iam habitavisse Cares et Leleges atque ibidem religionem fuisse magnæ deæ Cybelæ, quæ postea habita est pro Artemide. Undecimo sæculo Ionii oppidum condiderunt non ita longe a sanctuario, ad occidentem versus, in profundo sinu, iuxta fluminis Caystri ostium. Ibi portus erat tutus ; negotia mox floruerunt ; urbs præpolluit ; pulcherrima ædificia sacra et profana exstructa sunt, inter quæ præstantissimum Artemidis fanum.

A sexto sæculo urbs in dicionem complurium regnum redacta est ; attamen non eorum culpa decrescere coepit, sed fluminis Caystri, cuius alluvione portus est paulatim obstructus. Novo portu quarto sæculo in insalubribus paludibus creato, oppidum duabus fere chiliometris remotum est ad meridiem et occidentem. Urbs antiqua invitis incolis fuit relinquenda ; nova autem vocata est Arsinoe, nomine uxoris Lysimachi, qui loca tunc possidebat. Tantum pugnatum est pro possessione illarum regionum, ut cogitanti fiat vertigo. Anno demum 190 Romani victores regibus Pergami mandaverunt Ephesum... ■■■

(continuabitur)



Artemis Ephesia  
(Smyrnæ in museo)

## DE NOVIS LIBRIS

P. Elsen, *Het Latijnse Brugge. De Klassieke Oudheid in het Brugse stadsbeeld*, Brugge, Uitgaven West-Vlaamse Gidsenkring, 2003, 166 p.

Paulus Elsen nobis bene notus est, qui Belgicorum seminariorum participibus pulcherimias et Latinas lustrationes urbis Brugarum compluries obtulerit. Erat enim philologiae Latinae et Græcae doctus, tunc temporis et inspector scholarum catholicarum et sodalis Circuli Mystagogorum Flandriæ Occidentalnis, cuius sententia est « Utile dulci », atque suis lustrationibus Brugas Latine describebat.

Auctor huic libro indidit non solum scientiam suæ urbis, sed etiam totum amorem. Omnia visu digna Nederlandice exponuntur ; inscriptiones Latinæ, quæ Brugis numerosæ inveniuntur, exhibentur et explicantur ; adduntur et multa excerpta e scriptis Latinis, quibus de Brugis agitur. Ecce exemplum recentissimum, acrostichon a Nathalia Slosse anno 1999 exaratum :

Beatior me non fuit ulla  
Recubante hic in ripula,  
Ubi strepitus linguarum  
Gentium orbis terrarum  
Auditur post hominum memoriam :  
Elapsam crederes diem nullam.

ISBN 90-77203-02-8. Uitgaven West-Vlaamse Gidsenkring, 't Zweerd, 10, B-8000 Brugge.

G. Immè, *Linguæ Latinæ Schola*, Marigliano, Italibri, 2003, 148 p.

Melissæ lectoribus iam nota est domus editoria Stephani Monda, quæ libros scholasticos a Genovefa Immè notissima poetria conscriptos divulgare solet omnino Latinos, id est nullo vocabulo vernaculo adhibito, ita ut discipuli totius orbis terrarum eis frui possint. Hoc volumen est primum seriei quinque librorum, quibus Latinitas tradatur a rudimentis ad studia universitaria. Primo volumine, quod magistro usui erit per biennium, tiro simplicibus sententiis paulatim inducitur in linguam vitamque Romanorum, adiuvantibus delineamentis et multis exercitationibus. Præterea discipulus ab initio sciet linguam Latinam non esse mortuam, ut p. 8 legi potest : « Lingua Latina non est lingua mortua, sed lingua viva ; Lingua Latina vivit (...) Lingua Latina est vinculum amicitiae inter varios populos ».

ISBN 88-87738-09-2. Italibri, Corso Campano, 35, I-80034 Marigliano. (info@italibri.it)

E. Leino, *Helkavirsiä. Carmina sacra*, in Latinum vertit Tuomo Pekkanen, Helsinki, Artipictura Oy, 2003, 338 p.

Fuit fabula de terra  
opulenta, florulenta,  
mari medio iacente  
serenissimo sub sole... (« Atlantis », p. 248)

Eino Leino (1878-1926), Finnorum poetarum suo tempore facile princeps, non solum carmina panxit, sed etiam opera lyricalia, theatrica, prosaica. Hæc carmina sacra lingua et mythologia redolent Kalevalam, epicum carmen Finnicæ nationis cuius 22.795 versus, hoc nemo nescit, a Tuomone Pekkanen Latine redditi sunt. Hac autem nova et pulcherrima translatione lectori feliciter invenire licet veteres mythos Christianæ religioni coniunctos. Editio est bilinguis. In fine operis proponuntur epitomæ et commentarii, valde utiles eis, quibus Finni mythi non sint satis noti. In appendice etiam proponuntur duo Einonis Leino præclaræ poemata, « Carmen nocturnum » et « Elegia », quæ Melissæ lectors, quibus est bona memoria, procul dubio recordantur se anno 1986 legisse in periodico suo carissimo. Denique ei, qui nonnullas explications Anglice scriptas desiderant, alterum appendicem legent a Teiva Oksala conscriptum.

ISBN 952-5347-08-7. Artipictura Oy, Taivalportti, 5, FIN-02300 Espoo. (artipictura@artipictura.fi)





# *In hoc fasciculo !*

- Circa hymnum Europaeum [G. Licoppe] p. 1  
 De conventiculo rustico Americano [I. Dobreffl] p. 2  
 De itinere Europaeo Ioannis Guilelmi (II) [N. Thiel] p. 4  
 De miro per aera vebendi modo (IV) [G. Licoppe] p. 7  
 Documenta quædam academica [Th. Sacré] p. 10  
 Cambosia (V) [A. Vanautgaerden] p. 12  
 Iter Turcicum (II) [F. Deraedt] p. 14  
 Bibliotheca Latina p. 16*
- 

## LATINE LOQVI...

### SYMPOSIVM LATINVM

instituet Fundatio Melissa

d. 18-25 m. Iulii a. 2004

in oppido Rocamadour loco amoenissimo in  
Francogallia

Hoc symposio, quod volumus esse iucundum sodalium concilium, participibus dabitur occasio de variis argumentis disputandi, quæ Latinistis cordi esse solent. Eis autem, quibus loquela Latina nondum est consueta, exercitationes Latine loquendi proponentur.

Pretium

- inscriptionis :

- adultis : 50 EUR.
- discipulis et studentibus : 25 EUR.

- pernoctationis :

- cum ientaculo et cena (prandium tum est liberum) :
  - in conclave unius lecti : 35 EUR.
  - in conclave duorum lectorum : 31,50 EUR.
- cum ientaculo, prandio et cena :
  - in conclave unius lecti : 47 EUR.
  - in conclave duorum lectorum : 43,50 EUR.

*Conclavia sunt privatis commoditatibus instructa.  
 Accessus facilis et autocinetico et tramine ferriviario.*

Qui participare cupiunt sine mora certiores faciant

Gaium Licoppe  
 avenue de Tervueren, 76  
 B-1040 Bruxelles  
 tel. +32 475 47 55 18  
 telecop. +32 2 735 51 32  
 g.licoppe@skynet.be  
<http://users.skynet.be/Melissalatina>

### CONVENTICVLVM LEXINTONIANVM

Lexingtonæ in America, a mensis Iulii die 2 usque ad II. ¶ Prof. Terentius Tunberg : clatot@pop.uky.edu

### CONVENTICVLVM RVSTICVM

A mensis Iunii die 19 usque ad 27 fiet in Vasintonia civitate. ¶ <http://ttt.boreoccidentales.org/deconventiculis.php>

### FERIÆ LATINÆ

In abbatia Sancti Michælis Ferigoletensis, a die 28 m. Iulii ad diem 4 m. Augusti. ¶ Iohannes Claudius Champeau, 121, chemin des Moulins supérieur, F-06510 Gattières

### SEMINARIVM HISPANICVM

Prope Segoviam a die 23 m. Iulii in diem 1 m. Augusti ¶ <http://www.tekhnai.es/alf>

### SEMINARIVM L.V.P.A.e

Singiduni in Serbia a die 6 in diem 16 m. Augusti ¶ Inga Pessara, Nordstrasse, 39, D-59174 Kamen (ipg@surfeu.de)

### SEMINARIA SOCIETATIS LATINÆ

¶ Morsaci in Helvetia : 25-31 m. Iulii. ¶ in Belgica in abbatia Maretoliensi : 8-14 m. Augusti. ¶ Societas Latina, Universität, FR 5.2, D-66041 Saarbrücken (s.albert@mx.uni-saarland.de)

### SEPTIMANA AMCENEVRGENSIS

« Latine loqui - Romane coquere » - a die 1 ad diem 7 m. Augusti. ¶ Thomas Gölzhäuser, Westerwaldstrasse, 13a, D-35630 Ehringshausen (goelzhaeuserpost@hotmail.com)